



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXIII. De macula peccati, sive de peccato habituali personali. ad
q. 86.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

neglecto ordine rationis, est motio defectuosa; atqui hoc est moraliter movere; ergo.

Colliges Tertio contra Gonet, rationem fundamentalem, cur DEUS physicè præmovendo ad actum peccati non tamen cauisset formalem malitiam peccati, non esse, quòd infinità suà causalitate in nostris adionibus ex duabus formalitatibus inter se identificatis unam ab alia possit præscindere, hujus quippe principii falsitatem jam prius offendimus; sed istam, quòd in ratione a-

ctus reperitur formalis terminus divinæ causalitatis & omnipotentiae, quæ est ratio entis ut sic; non autem reperitur in formali malitia peccati, quæ extra totum genus entis, solummodò intra genus privativum moralis defectus reperitur. Adeòque est extra totam spheram divinæ causalitatis, à DEO nec emanabile, nec in ipsum ordinabile, sed tantum reducibile in principium privative deficiens, quod est voluntas destituta rectà regulà rationis.

DISPUTATIO XXIII.

DE

Macula peccati, sive de peccato habituali personali. ad q. 86.

Post causas peccati personalis [nam de originali postea speciali tractatu] transimus ad expendendos ipsius effectus, & quidem peccati mortalis, qui à S. D. tres præcipui enumerantur: Diminutio inclinationis in bonum naturæ, macula peccati, & reatus penæ aternæ. Et de primo quidem effectu non est magna difficultas, nam inclinationem alicujus naturæ in bonum diminui, potest in duplici sensu accipi, primò, ut diminuat intrinsecè & ex parte subjecti, h. e. ut natura vel potentia aliquid amittat de sua intrinseca entitate & intensiva perfectione: Secundò, ut diminuat extrinsecè, & ex parte termini, h. e. acquirendo oppositionem alicujus impedimenti, ex quo fit ut natura vel potentia terminum, ad quem aliàs inclinatur, non tam facillè consequatur, quo posito concludit S. D. hic q. 85. a. 1. per peccatum hominis inclinationem in bonum honestum diminui, non quidem intrinsecè; siquidem inclinatio in bonum entitative non differt ab ipsa animæ substantia ac potentiis ipsius, quæ per peccatum non destruntur; bene autem extrinsecè, primò, quia per peccatum generatur prava dispositio, inclinand in bonum delectabile inhonestum, adeòque voluntatem impediens & retrahens à prosecutione honesti: Secundò in quantum per peccatum personale mortale aufertur gratia sanctificans, & habitus infusi, sæpe etiam diminuuntur, aut destruntur habitus acquisiti, per quos homo inclinatur in bonum, & retrahitur à malo: sicque minuitur facilitas & promptitudo tendendi in bonum honestum. Major est difficultas de macula peccati, & reatu penæ, de quibus erunt duæ sequentes Disputationes.

ARTICULUS I.

An peccatum habituale consistat in peccato non retractato?

SUMMARI A.

1. Macula peccati est vestigium & terminus peccati actualis.
 2. In re significata peccatum habituale, & macula peccati non differunt.
 3. Cur peccatum habituale dicatur macula?
 4. Varietas Sententiarum.
 5. Peccatum habituale non consistit in obligatione ad penam.
 6. Exponitur locus S. Augustini.
 7. Refellitur sententia non retractionis.
 8. Occurritur evasioni Adversariorum.
 9. Disparitas inter offensam humanam & divinam.
 10. Quid dicendum de peccato habituali in statu pura nature.
 11. Actus præteritus non nisi connotativè distinguit peccata habitualia.
- R. P. Mez. g. Theol. Schol. Tom. II.

§ I.

Prænotanda.

Notandum primò ex S. D. q. 86. a. 2. Post actum peccati in anima remanere maculam, quasi vestigium à præterito peccato relictum, ratione cujus homo coram DEO maculatus, immundus, invisus, deformis, &c. denominatur: veluti liquet è plurimis S. Script. locis, Pl. 50. Lavabis me, & super nivem dealbabor. Jer. 2. Maculata es in iniquitate tua &c. Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Quæ peccati macula etiam significatur per formas sacramentales, quibus dicimur abluì, & absolvi à peccatis, eaquæ nobis indulgeri.

Notandum secundò. Maculam peccati & reatu penæ

Gg

pecca-

peccatum habituale, quamvis differant in modo significandi, in quantum macula exprimit animæ immunditiam, eamque significat immundam coram DEO: peccatum verò habituale magis exprimit injuriosum & offensum DEO: tamen in re significatà prorsus convenire, siquidem ex eodem capite, ex quo peccator est immundus & maculatus, est etiam habitualiter offensus & inimicus DEI.

3. Notandum tertio. Peccatum habituale appellari maculam metaphoricè per analogiam ad res corporales; nam sicuti corpus aliquod dicitur maculatum, quando amittit nitorem sibi debitum per contactum alterius corporis fordidi, v. g. lutii, vel olei, sic anima dicitur maculata, cum per inordinatum affectum, & adhætionem voluntatis ad sensibilia bona [qui est quasi virtualis contractus animæ,] deperdit spiritualem pulchritudinem, ac nitorem sibi debitum, qui, ut loquitur S. D. hic a. 1. duplex est, unus ex refugentia luminis rationis naturalis, per quam dirigitur in suis actibus; alius ex refugentia luminis supernaturalis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam nimirum perficitur in ordine ad finem supernaturalem.

4. Notandum quarto. Quamvis etiam peccatum originale sit habituale peccatum, tamen hoc loco agi de solo habituali personali, quod tamen animam maculat, quamdiu per gratiam justificationis non deletur, ut sup. ex tract. de grat. De hoc porro quæstio celebris est, in quoniam formaliter consistat. Nam primò Scotus in 4. dist. 14. q. 1. docet, consistere in passivâ ordinatione ad subeundam pœnam, sive in relatione rationis resulante in anima propter culpam commissam, quæ quatenus connotat animam, eique est disconveniens, vocatur macula; quatenus refertur ad pœnam, vocatur reatus seu obligatio pœnæ; & quatenus provenit ex actione divinæ voluntatis ordinantis peccatorem ad pœnam, sic vocatur offensâ.

Secundò: Lorca docet, consistere in aliqua entitate positiva habituali inclinante in bonum creatum, tanquam finem ultimum: vel, ut Godoyus sentit, in termino positivo morali, quo peccator manet habitualiter difformis legi, conversus in ultimum finem creatum, & aversus à DEO. Tertio: communior RR. cum Vasque docet, consistere in peccato præterito non retractato, seu connotante duplicem privationem, unam condonationis divinæ, & alteram satisfactionis condignæ. Quarto: communior Thomistarum, quam etiam amplectuntur Salmanticenses hic q. 86. a. 2. n. 6. docet, formaliter consistere in privatione gratiæ sanctificantis, quatenus causata per peccatum præteritum.

§. II.

Refutatur sententia Scotistica.

5. **CONCLUSIO PRIMA.** Peccatum habituale, seu macula non consistit formaliter in obligatione seu passivâ ordinatione & relatione ad pœnam. Ita communis extra Scholam Scoti. Probatur primò autoritate SS. PP. Pii V. & Gregorii XIII. qui præter alios etiam hunc ar-

ticulum Michaëlis Bay damnarunt: quòd *trahente actu peccati nihil remaneat, quam reatus & obligatio ad pœnam æternam*: atqui juxta sententiam rejectam post actum peccati mortalitatis anima nihil remaneret præterquam obligatio ad pœnam æternam.

Probatur secundò ratione: Reatus & deputatio ad pœnam est naturâ posterior, quam macula peccati: ergo macula peccati formaliter non consistit in deputatione ad pœnam. Antec. est S. D. in 2. dist. 42. in exposit. textus dicitur: *Quòd macula est medium inter actum peccati & reatum: quasi effectus actus, & fundamentum reatus.* Et constat hæc ratione: quia peccator non est ideo immundus, quia est obligatus ad subeundam pœnam: sed ideo est obligatus ad subeundam pœnam, quia macula peccati est inquinatus.

Probatur tertio. Reatus pœnæ est separabilis à macula peccati: ergo ista non potest formaliter consistere in reatu, sive ordinatione ad pœnam. Antec. probatur: tum quia ablata macula peccati mortalis etiam si auferatur reatus ad pœnam æternam, manet tamen sæpe reatus ad pœnam temporalem: tum quia damnati in inferno interdum augent culpam & maculam peccati, non tamen augent reatum pœnæ, cum sint extralatum merendi, vel demerendi: tum quia si DEUS noller peccatorem ordinare ad pœnam æternam, vel temporalem, adhuc ratione peccati habitualis esset immundus, & abominabilis coram DEO.

Oppones autoritatem D. Augustini in pl. 1. dicens: *Hoc est, DEUM videre peccata, quòd punire peccata.* Unde inferes, ergo sublata deputatione ad pœnam DEUS non videt peccata, & consequenter non sunt. Respondet. Hæc esse idem concomitanter, quia nunquam futurum sine altero; non autem esse idem formaliter.

§. III.

Removetur non retractatio peccati.

CONCLUSIO SECUNDA. Macula peccati, sive peccatum habituale pro hoc statu formaliter non consistit in peccato præterito non retractato.

Ratio est. Macula peccati consistit in aliquo quòd est intrinsecum animæ: sed peccatum actuale præteritum non retractatum nihil dicit intrinsecum animæ: ergo non est macula peccati. Major probatur è verbis S. Script. & formis sacramentorum primò adductis, è quibus colligitur sordes, & maculam peccati in nobis permanentes nos ab illa *lavari, purgari, mundari*: que omnia secundum proportionem verborum, prout ex communi Theologorum regula verba S. Script. accipi debent, significant aliquid animæ intrinsecum. Minor quoque probatur: quia quicquid in sententia rejecta importat macula in re, id quod præteritum, nempe actus peccati: sed iste est extrinsecus peccatori: ergo.

Respondet: Tamest peccatum præteritum non sit animæ intrinsecum physice, esse tamen moraliter intrinsecum, quod sufficit ad explicandos S. Script. textus.

Contrà est primò. Illa moralitas nil potest super.

superaddere ad actum præteritum non condonatum, quam prudens iudicium peccatori imputantis præteritum peccatum, ac si defacto inesset: sed tam istud iudicium quam fundamentum ipsius est quid intrinsecum peccatori; ergo nondum salvatur, quomodo peccator potius per intrinsecam, quam extrinsecam denominationem dicatur maculatus.

Contra est secundò. Quòd verba *S. Script.*, quamdiu nullum obstat inconveniens, sunt accipienda in proprio sensu: sed verba prædicta in proportione verborum significant aliquid non tantum moraliter & affirmativè, sed realiter & physicè intrinsecum: ergo.

Contra est tertio. Ex eo, quia Rom. 5, dicitur, quòd *charitas DEI diffundatur in cordibus nostris*, rectè infertur, quòd gratia sit donum physicè & non tantum moraliter in anima receptum: ergo pariter, cum *S. Script.* dicit, quòd in nobis sit macula peccati, nos à macula peccati lavari, mundari &c. non loquitur tantum de morali, sed physica quoque ipsius inexistencia.

Contra est quartò. Forma, per quam peccatum habituale formaliter expellitur, nempe gratia sanctificans, anima est physicè intrinseca: ergo etiam peccatum habituale debet physicè inesse animæ. Consequentia probatur: forma, quæ per physicam inhærentiam expellit suum oppositum, etiam supponit illius physicam inexistenciam in eodem subiecto, veluti patet philosophicè inducitione contrariorum sive positivorum, sive privativorum: sed gratia sanctificans per physicam suam inhærentiam, & informationem animæ expellit habituale peccatum: ergo & oppositum ipsius, nempe macula in anima non tantum moraliter, sed etiam physicè inesse debet.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Quo posito, cæterisque omnibus ablatis, intelligitur peccatum habituale, in illo formaliter consistit peccatum habituale: sed posito actu præterito, cum negatione condonationis divinæ, & retractationis seu satisfactionis præstita sufficienter intelligitur peccatum habituale: ergo. Minor probatur: Offensa humana, nec non intentio sufficienter intelligitur habitualiter permanere, quamdiu non retractatur: ergo etiam offensa divina, quod est peccatum.

Respondetur negando minorem, & ad probationem assigno disparitatem: nam neque intentio, neque offensa humana tollit aliquam entitatem in anima intrinsecè & physicè inhærentem, sicut facit peccatum mortale, quod tollit amicitiam divinam consistentem in habitu physico

gratiæ & charitatis; ideo offensa humana habitualis bene potest intelligi ratione actus præteriti non retractati, non autem offensa Divina habitualis. Rursus intentio & offensa humana non intrinsecè maculant & sedant animam per oppositionem cum aliquo intrinseco nitore & pulchritudine, quod tamen facit peccatum mortale.

Objicies secundò. Si quis in statu puræ naturæ, h. e. nullis donis supernaturalibus elevata ad finem ultimum supernaturalem, peccasset mortaliter, peccatum habituale nihil aliud fuisset, quam actus præteritus non retractatus: ergo etiam pro statu præsentis essentia peccati habitualis sufficienter salvatur in actu præterito non retractato.

Responderi potest primò negando consequentiam: nam in statu puræ naturæ peccatum habituale fuisset alterius rationis, quam in statu naturæ elevata: tunc enim pro forma opposita non habuisset gratiam sanctificantem, & amicitiam intrinsecam, sed tantum favorem DEI extrinsecum: atqui in statu præsentis peccatum habituale opponitur gratiæ sanctificanti, amicitia, & pulchritudini in anima intrinsecè & physicè receptæ: neque aliter, quam per ipsius infusionem tolli potest. Responderi potest secundò. Cum etiam in statu puræ naturæ peccatum mortale potuisset hominem reddere immundum, & adeoque habuisset rationem maculæ, constituendum fore in privatione habitualis conformitatis cum lege, & conversionis habitualis ad ultimum finem; quæ tunc fuisset potissima anima pulchritudo, & probabiliter fuisset aliquod donum ordinis naturalis, quo homo fuisset habitualiter ordinatus ad DEUM super omnia efficaciter diligendum.

Objicies tertio. Idem est constitutum peccati, quod distinctivum; sed peccata habitualia inter se distinguuntur, non per privationem gratiæ, sed per actus præteritos: ergo actus præteritus constituit peccatum habituale.

Respondeo distinguendo maj. Idem est constitutum peccati habitualis, quod distinctivum, si sit distinctivum per modum alicujus importati in recto, concedo; per modum alicujus connotati in obliquo nego maj. sed unum peccatum habituale ab altero distinguitur ratione actus præteriti, tamquam connotati in obliquo concedo; tanquam importati in recto, nego min. & consequentiam. Item, non distinguuntur inter se peccata habitualia propter privationem nudè & solitarie acceptam, concedo; propter illam sumptam cum ordine & connotatione ad sui causam, quæ est peccatum actuale, nego.

ARTICULUS II.

An macula peccati consistat formaliter in aliquo positivo, vel privativo?

SUMMARI A.

1. Excluditur positiva entitas per auctoritatem *D. Thomæ.*
2. Per rationem. *R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.*
3. Paritas de peccato actuali retorquetur.
4. Macula, seu peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis, cum connotatione peccati, à quo causatur.
5. *G g 2*
6. *Privati-*

6. Privatio gratia in facto esse non est prior quam peccatum habituale.
7. Privatio gratia ut moralis & voluntaria non est a DEO.
8. Est semper voluntaria saltem indirectè, & interpretativè.
9. Pluralitas peccatorum habitualium oritur à connotatione diversorum peccatorum actualium.
10. Peccata possunt remitti per solam infusionem gratiae.
11. Non autem per solam condonationem extrinsecam.
12. Peccatum habituale reducitur ad speciem peccati actualis.

§. I.

Rejicitur entitas habitualis positiva.

CONCLUSIO PRIMA. Peccatum habituale formaliter non consistit in positiva & habituali entitate hominem convertente in ultimum finem creatum.

Hanc assertionem probant omnia argumenta, quibus antea probavimus, peccatum actuale formaliter non consistere in positivo. Et ulterius probatur primò luculentà autoritate Doctoris Angelici, qui hanc ipsà quaestione a. 1. ad 3. *Macula*, inquit, non est aliquid positivè in anima, sed significat privationem quandam nitoris, &c. Et in 4. dist. 18. q. 1. a. 2. quaestiu. 1. *Ex peccato non remanet positivè aliquid in anima, nisi dispositio vel habitus, qua consequuntur peccatum ex parte actus, ex quo aliquid ponit: sed macula non est dispositio ex actu causata, nec habitus: quod patet ex hoc, quod dispositio & habitus possunt sine gratia destrui per contrariam consuetudinem: macula autem sine gratia non auferitur: ergo macula non ponit aliquid positivè in anima.* Quid clarius?

Dices fortè, hunc textum contineri in argumento sed contrà, ex quo nondum sufficienter colligitur mens & sententia S. Doctoris: sed contrà est, quod hoc ipsum repetit in corp. illius quaestiu. *Ex hoc, inquit, aliquid maculatum dicitur, quia debite pulchritudinis patitur detrimentum, unde macula secundum quod hujusmodi, non habet, quod aliquid ponat, &c. & post pauca: Unde ipsa macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratiae, &c.* Ex quibus

Probatur secundò ratione. Habitus vitiosi possunt per actus contrarios destrui sine infusione gratiae: saepe etiam habitus vitiosi remanent post infusionem gratiae: ergo non potest in habitu vitioso constitui macula peccati.

Probatur tertio. Circa finem ultimum peccatoris non est constituendus habitus voluntati superadditus: sed peccatum habituale est circa ultimum finem peccatoris: ergo non est constituendum in habitu voluntati superaddito. Major probatur: Natura lapsa sibi relicta, & gratia supernaturali destituta per seipsam inclinatur in bonum proprium & privatum, quod est ultimus finis peccantis: ipsa quippe est inclinatio totius suppositi: ergo frustraneus est habitus superadditus, qui faciliet hanc inclinationem.

Probatur quarto. Habitus voluntatis gene-

rantur per frequentatos actus, & per oppositos corrumpuntur: sed macula peccati per unicum actum generatur, & per infusionem gratiae sanctificantis instantaneè corrumpitur: ergo macula peccati non potest consistere in habitu.

Probatur quinto. Non minus peccatum omissionis causat maculam, quam peccatum commissionis: sed illa non potest consistere in positivo, uti nec ipsum peccatum omissionis: ergo nec de ratione maculae, quòd sit aliquid positivum. Adde, quòd macula, quae deletur per gratiam, immediatè subiectetur in anima; quicquid vero positivum resultat ex actu peccati, subiectetur in potentis animae, adeò quae macula, & positiva inclinatio subiectis distinguantur.

Dices: Actualis conversio in bonum creatum est quid positivum: ergo etiam habitualis conversio consistit in aliqua inclinatione positiva: atqui peccatum mortale habituale dicitur habitualement conversio in bonum commutabile, sicut actuale dicitur conversio in actuale: ergo peccatum habituale consistit in inclinatione positiva ad bonum commutabile.

Respond. dist. consequens: consistit in aliqua inclinatione positiva, quae sit ipsa voluntas hominis, concedo; quae sit qualitas aut habitus superadditus, nego consequentiam. Subsumptum distinguo: peccatum mortale habituale dicitur habitualement conversio connotativè, & de suo substrato, concedo; formaliter, nego subsumpt. & consequentiam. Imò retorqueo argumentum: formale peccati actualis non nisi connotativè & de substrato importat conversionem positivam actualem, indistinctam ab ipso actu voluntatis: ergo formale peccati habituale non nisi connotativè & de substrato importat conversionem habitualement, & de ipsa tamen voluntate indistinctam, erga bonum creatum. Unde haec paritas illis tantum est solvenda, qui peccatum actuale formaliter in positiva entitate constitunt.

§. II.

Sententia Thomistica.

CONCLUSIO SECUNDA. Macula peccati mortalis consistit formaliter in privatione gratiae sanctificantis cum ordine ad suam causam, quae est peccatum praeieritum. Ita Thomistica communiter.

Prima pars probatur primò reiectione priorum sententiarum sic breviter contracta. Macula peccati non potest consistere in formalitate actus peccantis extrinseca, neque moraliter solita intrinseca; ergo in formalitate physice intrinseca: sed haec non potest esse positiva: ergo privativa. Si privativa: ergo illius pulchritudinis & nitoris, quo anima constituitur sancta DEO grata & habitualiter ordinata in finem supernaturalem: sed haec est gratia sanctificans nec alia forma est assignabilis. Unde sicut homo per gratiam significantem formaliter denominatur iustus & DEO gratus, sic per oppositum habituale peccatum formaliter denominatur impius, DEO offensus, inimicus, &c.

Probatur secundò. Cùm macula ex ipso peccati impositione formaliter specificet caritatem

debiti notoris seu pulchritudinis, etiam peccati mortalis macula consistere debet in privatione debiti notoris, & quidem illius, qui est vita animæ, & per peccatum mortale expellitur; ideo quippe mortale dicitur, quia causat mortem & expellit vitam animæ; atqui iste notor, qui simul est animæ vita, est gratia sanctificans: ergo peccati mortalis macula consistit in privatione gratiæ sanctificantis.

Probatur tertio. In illo consistit macula peccati mortalis, quod per se primo expellitur per justificationem: sed per hanc per se primo expellitur privatio gratiæ: ergo. Major probatur: quia justificatio est formaliter remissio peccatorum, & per hanc mundari, lavari, regenerari dicimur. Minor quoque probatur: Justificatio formaliter est infusio gratiæ; atqui infusio gratiæ formaliter expellit sui privationem, quemadmodum lux expellit tenebras: ergo per justificationem formaliter per se primo expellitur privatio gratiæ.

Probatur quarto. Quæcumque prædicata reperiuntur in macula peccati mortalis, illa conveniunt privationi gratiæ: ergo. Antec. probatur: nam est privatio debiti notoris, & habitualis ordinationis in ultimum finem; reddit hominem DEO odiosum, & detestabilem, formaliter immundum, injustum, estque terminativè voluntaria: ergo.

5. Secundam quoque partem tradit S. D. hæc q. 86. a. 1. ad 3. his verbis: *Macula non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam notoris animæ in ordine ad suam causam, que est peccatum, & ideo diversa peccata diversas maculas inducunt.* Ubi ratio à posteriori indicata est primò: si privatio gratiæ non acciperetur cum ordine ad suam causam, non esset ratio diversitatis inter unam, & alteram maculam; consequens est absurdum: ergo.

Ratio est secundò. Privatio gratiæ sanctificantis non aliter potest habere rationem peccati & culpæ, ac denominare hominem immundum, ac offensum coram DEO, nisi quatenus est moralis & voluntaria: sed talis non est nisi per ordinem ad actum peccati præteritum, à quo causatur & relinquitur: ergo debet accipi cum ordine ad peccatum præteritum, ex quo habet quòd sit voluntaria, non quidem per modum voluntarii formalis & actualis, quod non est nisi actus voluntatis elicitus, aut imperatus, sed per modum voluntarii terminativi, quod est terminus & effectus ab actu formaliter voluntario relictus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

6. Objicies primò. Privatio gratiæ priùs concipitur, quàm peccatum habituale: ergo in illa peccatum habituale non rectè constituitur. Antec. probatur: In eodem instanti, in quo est actuale peccatum, jam concipitur privatio gratiæ, siquidem implicat, peccatum, & gratiam esse simul: atqui in illo instanti nondum potest esse & concipi habituale peccatum, quod est terminus & effectus peccati actualis: ergo.

Resp. dist. antec. privatio gratiæ nudè sum-

pta, & ut in fieri, priùs concipitur, quàm habituale peccatum concedo; privatio gratiæ unà cum ordine ad peccatum præteritum, & ut in facto esse, nego: eodemque modo distinctà probat. nego consequentiam.

Objicies secundò: Privatio gratiæ causatur à DEO in pœnam peccati: sed peccatum habituale nullatenus potest causari à DEO: ergo non potest esse privatio gratiæ. Antecedens probatur: quia cùm DEUS subtrahit influxum conservativum gratiæ, oritur privatio gratiæ: ergo privatio gratiæ causatur à DEO subtrahente suum influxum.

Confirmatur. Pœna peccati non est ipsum peccatum: atqui privatio gratiæ est pœna peccati: nam ideo homo privatur gratiâ, quia peccat; & ideo DEUS perseverat in subtractione gratiæ, quia homo perseverat in peccato.

Respondeo. Gratiam sanctificantem spectari posse dupliciter: physicè nimirum, & moraliter. Spectatur physicè, prout est summa animæ perfectio, & participatio divinæ naturæ. Spectatur moraliter, prout est rectitudo & habitualis subiectio & subordinatio hominis ad DEUM ut ultimum finem supernaturalem. Similiter privatio ipsa gratiæ spectari potest vel physicè, prout est præcisè absentia hujus doni supernaturalis causata per subtractionem divini influxus; vel moraliter, prout dependet à voluntate ponente per actuale peccatum ultimam dispositionem expulsiivam gratiæ, & impossibilem cum ipsa. Quo posito distinguo maj. privatio gratiæ causatur à DEO in pœnam peccati, si privatio vel gratia physicè spectatur, concedo; si moraliter, nego: ergo peccatum habituale non est privatio gratiæ, sub physica solum consideratione, concedo; sub morali, nego. Similiter ad Confirmat. privatio gratiæ prout hæc est perfectio animæ, & sub physica consideratione, est pœna peccati, concedo; prout hæc est moralis rectitudo & subordinatio ad DEUM, ac sub morali consideratione, nego. Nam ut S. D. q. 1. de malo a. 4. ad 1. dicit: *Idem secundùm diversa potest esse culpa & pœna, non tamen secundùm idem.*

Objicies tertio. Culpa habitualis debet esse voluntaria: sed privatio gratiæ non semper est voluntaria; ergo. Minor probatur. Quod non est cognitum, non est voluntarium: atqui privatio gratiæ sæpe non est cognita, nempe quoties aliquis negativè infidelis mortaliter peccat, qui habet invincibilem ignorantiam totius legis gratiæ.

Respondeo negando minorem & dico, privationem gratiæ peccato personali causatam semper esse saltem interpretativè & indirectè voluntariam peccanti.

Ad probationem dist. maj. quod non est cognitum nec distinctè, nec confusè, nec in se, nec in alio, non est voluntarium, concedo; quod tantùm distinctè & in se non est cognitum, nego. Sed privatio gratiæ non est cognita in se & distinctè ab aliquo negativè infideli peccante mortaliter, concedo; non confusè & in alio, nego consequentiam: hoc ipso quippe, quòd infidelis mortaliter peccans advertat, se peccando perdere rectitudinem ad legem, finemque sibi debitum, &

interpretativè velit illud amittere, in quo subiectio ad DEUM, ejusque amicitia consistit, etiam implicite & in confuso cognoscit amissionem gratiæ sanctificantis, quæ sub generica ratione rectitudinis & amicitia cum DEO continetur.

§. IV.

Corollaria.

9. Colliges ex dictis primò. Causam cur plures maculæ peccatorum sint in homine sapius peccante mortaliter, quamvis per primum peccatum mortale totius gratiæ privatio sit introducta, esse ipsam connotationem ad novam causam novi videlicet peccati mortalis. Ita S. D. in 4. d. 18. q. 1. ad 2. quæstione, 1. ad 1. *Quamvis quantum ad ipsam privationem gratiæ non differant maculæ peccatorum, differunt tamen quantum ad causam, ex quâ macula consequitur, & secundum hoc etiam quodlibet peccatum unam maculam addit, in quantum novum obstaculum gratiæ ponit.* Ita S. D.
10. Colliges secundò. Possè peccata habitualia per absolutam DEI potentiam remitti absque ullo actu proprio peccatoris, per solam infusionem

gratiæ sanctificantis: quia quævis privatio potest destrui per formam oppositam: sed peccata habitualia formaliter consistunt in privatione gratiæ sanctificantis: ergo si DEUS infundat gratiam sanctificantem [quod potest per absolutam potentiam independentem à dispositione peccatoris] tanquam formam oppositam, eo ipso destruet peccata habitualia, & consequenter remittentur peccata.

Colliges tertio. Nullum peccatum remitti potest etiam per absolutam potentiam saltem in hoc statu [nam quid in statu puræ naturæ, dicitur in Traçt. de Gratia] per solam condonationem extrinsecam: neque enim privatio tolli potest, nisi per formam oppositam: sed saltem in hoc statu naturæ elevatæ in finem supernaturalem peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis: ergo non nisi per gratiæ infusionem remitti potest.

Colliges quarto. Peccati maculam reduci potest pertinere ad speciem peccati actualis; æquocausatur: quia in esse moris & secundum rationem voluntarii dependet à peccato præterito, tanquam causa sua morali: ergo exinde etiam accipit speciem & distinctionem in esse moris.

DISPUTATIO XXIV.

DE

Reatu pœnæ. ad q. 87.

PRIMO effectui peccati actualis physico-moralis, qui est macula peccati, subnectitur alter effectus purè moralis & demeritorius, qui est reatus pœnæ: unde tam de reatu, quam de pœna ipsa hoc loco disputamus.

ARTICULUS I.

Quid sit reatus pœnæ?

SUMMARIÆ.

1. Quid significetur nomine pœnæ?
2. Alius reatus culpæ, alius pœnæ.
3. Plura concurrentia ad reatum pœnæ.
4. Reatus pœnæ est effectus culpæ.
5. Inchoativè consistit in condignitate ad pœnam.
6. Indistincta à macula peccati.
7. Completivè etiam in passiva obligatione ad pœnam.

§. I.

Prænotanda.

1. Notandum primò. Quamvis in latiori sensu quæcunque animi, aut corporis molestiæ etiam in exercitationem humilitatis, patientiæ, &c. immixtæ pœnæ soleant appellari; propriè tamen hoc loco nomen pœnæ significare aliquod incommodum hominis naturali inclinationi contrarium, & in culpæ vindictam infligendum, adeò ut pœna nunquam sit sine connotatione essentiali ad culpam præsuppositam, ratione cujus infligitur.
2. Notandum secundò. Reatum distingui in

reatum culpæ & reatum pœnæ. Reatus culpæ est illa subiectio, quâ peccator post commissum peccatum quasi captivus tenetur sub servitute peccati, & impotens ut ab ejus macula propriè viribus expedire se possit. Quo sensu etiam dicitur potest reatus culpæ illa necessitas, quam habent posteri Adami, ut in primo conceptionis instanti contrahant originale peccatum. Hoc loco nota de reatu culpæ, sed pœnæ sermo est.

Notandum tertio. In reatu pœnæ, qui extrinsecè dicitur, quòd aliquis est reus pœnæ perferendæ, tria concurrere. Primum est ipsa peccatoris condignitas & proportio ad pœnam ratione culpæ contractæ subeundam: nam, sicuti quilibet actum meritorium, eo ipso dignus est premio, ita, qui fecit malum, eo ipso est dignus pœnâ, seu reus pœnæ. Alterum est activa obligatio, seu extrinseca ordinatio peccantis ad pœnam subeundam facta ab eo, cui jus est leges pœnalis ferendi, & exequendi. Tertium est passiva obligatio, seu denominatio extrinseca, ab illa extrinseca & activa ordinatione proveniens: per quam